

milia *Le Bruin*, siqua alia olim in hoc tractu celebris, è cuius duabus hæredibus scemellis sæpius enuptis Carolus Brandon Dux Suffolciæ, *Tirelli*, *Bernerii*, *Harlestoni*, *Heyeninghami*, & alii descendunt. Masculi autem ex illa familia adhuc in agro Southantonensi supersunt. *Thorndon*, ubi ædes speciosas erexit Ioannes *Petre* Eques auratus, qui nunc Baro *Petre* de *Vvrittle*. Habitatio quondam fuit claræ familiæ *Fitz-Lewis*, quorum ultimus, siqua fides vulgo, incensis fortuito ædibus nuptiali festivitate misere incendio periit. *Burghsted* contracte *Bursted*, id est *Burgi locus*, quo nomine plurima loca vetustiora insignierunt majores. Hoc CÆSAROMAGVM fuisse suspicatus sum, quodcunque olim fuerit, hodie tantum rusticorum est viculus juxta *Billiricay* forum satis frequens. Nec non *Ashdown* olim *Assandum*, id est, interprete Mariano, *Mons Asinorum*, ubi prælium funestum olim commissum erat, in quo Edmundus cognomento *Ferream latus*, Danos initio prospera pugna contudit: sed mox versa fortuna prodicione ita fuit ab illis profligatus, ut plurimos Angliæ proceres desiderarit. In cuius prælii memoriam Canutum Danum postea ecclesiam eo loci instituisse legimus, cum ubicunque pugnasset, poenitentia ob effusum sanguinem percitus ædificas sacras erigeret.

Ab his *Ralegh* non multum abest, oppidulum non inelegans, *Raganeia* videtur in libro illo *Domesday*, qui meminit castri quod hic *Suenus* construxit. Vbi (etiam legitur) *unus est parcus & vi Arpenni vineæ, & reddit xx modios vini si bene procedit.* Quod adnoto tum propter *Arpennen* Gallicam dictionem, tum propter vinum in hac insula confectum. Fuit hic *Suenus* vir magni nominis, & magnæ nobilitatis, filius *Roberti filii Wimaec*, pater autem *Roberti de Essex*, ex quo natus erat *Henricus ille de Essexia*, qui jure hæreditario regis signifer, quique quod in velitatione contra *Wallos* animum, & signum simul abjecerat, prodicionis infimulatus, singulari certamine victus, & in claustrum contrusus, amplissimo patrimonio Regis *Henrici Secundi* fiscum adauxit, *Baronia* vero jam inde diu erat in Regum possessione donec *Hubertus de Burgo* à Rege *Ioanne* obtinuerat.

Inde ad Septentriones retroacta paulatim littora duo insinuantis Oceani accessus admittunt: hunc *Crouch*, alterum *Blakewater* (qui olim *Pant*) accolæ vocant. In *Crouch* aquarum divortiis quatuor insulæ disperguntur, viriditate gratæ, sed alluvionibus paludescunt; inter quas nominatissima sunt *VVallot*, & *Foulness*, id est *Auium Promontorium*, quod suam habet Ecclesiam, & cum mare maxime refluxerit equo adiri possit. Inter hæc intersidet *Centuria Dengy*, quondam *Dancing*, gramine lætissima & re pecuaria dives, sed solo & celo minus salubri, ubi caseareis operibus omnia fervent, virique muliebri officio oves mulgent, unde casei illi inusitatae magnitudinis conficiuntur, qui non modo per Angliam, sed etiam per exteras regiones ad saturandos agrestes, & opifices distrahuntur. *Dengy* primum hujus est hodie oppidum à Danis ut incolæ credunt sic dictum, quod nomen toti *Centuriæ* contulit, cui vicinum est *Tillingham* donatum ab *Britannia*.

*thelberto* primo Christiano Anglo-Saxonum Rege Monasterio *S. Pauli Londini*: & superius ad boreale littus floruit urbs priscae memoriarum quam *Ithancestre* majores nostri dixerunt. Scribit enim ex *Beda Radulphus Niger*: *Cæda Episcopus baptisavit Orientales Saxones juxta Maldoniam in civitate Ithancester, quæ erat in ripa Pant fluminis, quod currit juxta Maldoniam in Dengy provincia, sed modo illa civitas submersa in fl. Pant.* Locum digito signare non possum, flumen tamen *Frosbwell* hodie dictum prius *Pante* fuisse nominatum minime dubito, cum alter ex ejus fontibus *Pantwell* nuncupetur & *Monachi de Coggeshall*, sic dixerunt. Sunt qui asserunt hanc *Ithancester* in extremo *Centuriæ de Dengy* Promontorio impostam fuisse, ubi hodie *S. Peters upon the wall*, id est, ad aggerem. Per hoc enim littus aggeribus contra Oceanum irruentem vix agros tuentur accolæ. Cæterum hanc *Ithancester* *OTHONAM* fuisse quodammodo credo ubi Numerus *Fortensium* cum suo *Præposito*, inclinante Romano imperio, sub *Comite Littoris Saxonici* contra piraticas *Saxonum* deprædationes stationem egit. Ab *OTHONA* enim ad *ITHANA* deflexio non est duriuscula, & situs ad sinum in quem plura flumina exonerantur, huic usui erat percommodus. Hic etiam adjungere libet quod hujus *Centuriæ* custodiam *Edwardus Confessor* *Ranulpho Peperking* concessit *Charta* brevi, quam libenter hic apponam, ut nos qui omnes juris apices excutimus, videamus quam candida & aperta illa ætas fuerit. Sic vero illa se habet è Regiis in *Scaccario* tabulariis, sed sæpius describendo verba nonnulla facta sunt molliora.

*Iche Edward Koning*  
*Haue yeuen of my Forest the keeping*  
*Of the hundred of Chelmer and Dancing*  
*To Randolf Peperking and to his kindling*  
*VVith heorte, and hinde, doe, and bocke,*  
*Hare, and foxe, catt, and brocke,*  
*VVilde fowell with his stocke,*  
*Partrich, fesant hen, and fesant cock:*  
*VVith greene and wilde stob and stock.*  
*To kepen and to yemen by all her might,*  
*Both by day, and eke by night,*  
*And hounds for to holde*  
*Good and swift, and bolde:*  
*Fower grebouns, and six racches,*  
*For hare and fox and wild cattes.*  
*And therefore ich made him my booke,*  
*V Vitnes the Bishop VVolfston,*  
*And booke ylered many on,*  
*And SWeyne of Essex our brother,*  
*And te ken him many othe,*  
*And our steward Howelin*  
*That bysought me for him.*

Hæc candida erat illius ætatis fides & simplicitas, quæ in pauculis lineis & pauculis crucibus aureis omnia fidei firmamenta posuerunt. Ante *Normannorum* enim ingressum, uti apud *Ingulphum* legitur, *Chirographa firma erant cum crucibus aureis, aliisque signaculis: sed Normanni cum cerea impressione per uniuscujusque speciale sigillum sub intitulatione trium vel quatuor testium conficere Chirographa instituerunt. Conferebantur antea multa prædia nudo verbo, absque scripto vel charta, tantum cum Domini gladio, vel*

T t t

galea,

Thorn-  
don Baro  
Petre.

Athdown.

Arpennis.  
Vinum.  
Radul-  
phus de  
Dicero.  
Familia  
de Essex.

Foulness.

Dengy  
Hundred.  
Essex  
cheese.Ithance-  
ster.

Othona.

\* Peperell  
Norman-  
ni voca-  
runt.Inter Re-  
cord. de  
Ferm. S.  
Hilarii E.  
2. 17. pe-  
nes Thef.  
& Came-  
rarium  
Scaccarii.Sigilla a-  
pud An-  
glos pri-  
mum in  
usu.